

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi  
Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus**

**Pasquali, Giovanni Battista**

**Venetiis, 1755**

Epistolae Graecanicae.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-844**

## EPISTOLÆ GRÆCANICÆ.

Venetiis, apud Aldum, MCCCCXCIX.

*Aldus Manutius Romanus [1] Antonio Codro Urceo S.P.D.*

**C**ollegimus nuper, CODRE doctissime, quotquot habere potuimus græcas Epistolas, easque typis nostris excusas, duobus libris publicamus, præter multas illas Basili, Gregorii, & Libanii, quas, cum primum fuerit facultas, imprimendas domi servamus. Auctores vero, quorum Epistolas damus, sunt numero circiter quinque & triginta, ut in ipsis libris licet videre. Has ad te, qui & latinas & græcas litteras in celeberrimo Bononiensi gymnasio publice profiteris, muneri mittimus, tum ut a te discipulis ostendantur tuis, quo ad cultiores litteras capessendas incendantur magis, tum ut apud te sint Aldi tui μνημοσύναι, & pignus amoris. Vale.

Venetiis, quintodecimo Calendas Martias, M D.

[1] „Natus sum ex Cortesio & Gerardina parentibus modicis. (ann. 1442.) Herberia oppidum agri Regiensis mihi est patria. At illud mihi inter minima non est reputandum, quod mihi in celeberrima studiorum, ac litterarum Urbe doceri contigit Ferraria, sed ab eo insti-  
tui qui lingue latine, græcaeque deus Baptista Guarini Veronensis filius. Addo & illud quod patria tua (Forilivii) publicus litterarum præceptor decem annis fui, tanto stipendio, quanto ante me fortasse nullus. Ex patria demum tua, seu nostra (nam pro Forilivio vienisi potius appellor & cognosco), quam Herberensi tandem Bononiam me recepi, ubi ad lectionem grammatices & rhetorices publice conduslus fui &c. “ Hac de seculo Urceus in Epist. ad Eugen. Mengum Bononiae edita cum ceteris ejusdem Urcei Opp. per Platonem de Be-

neditis 1502. fol. Qua vero de causa Codri cognomentum Urceo daretur, ita rem enarrat Bartholom. Blanchinus in vita quam de ipso conte-  
xit, ediditque: Accidit forte cum Forilivii (Urceus) esset ut Princeps Pinus (Ordelafus) Urceo se commendaret in via forte sibi obviam facio; cui Antonius Sabridens: Dii boni, inquit, Jupiter Codro se commendat. Hinc omnes eum, mutato nomine, Codrum appellaverunt. Et ipse Bononi moriens anno aetatis sua LIV. asthmate suffocatus, sepulcrum hac tantum Epigraphe indicari voluit: CODRUS ERAM. Inexorabilis ingenii fuisse perhibent, obsinatoque super omnes animo; ira insuper urgente, impium & prope amentem. Frequentissime sales, jocos, leprores, facetiasque, & nonnumquam turpissimæ & obscena seris intermiscebant, vel si mavis seria semper, scurriliter jocando, docebat.

## A D D E N D A.

Præfationes tres, quæ sequuntur, typotitarum oscitantia suo loco deturbatas, et si (ut ajunt) extra chorū, hic rāmen subnecten-  
das curavimus, ne quid deesse, quod desiderari posset ab eruditis  
Lectoribus, jure culparemur.

